



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

De Nominibus quæ in Baptismo assumimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

agentes Deo & Patri per ipsum. Et. *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite, qui est benedictus in sæcula.*

STRENA III.

De Nominibus quæ in Baptismo assumimus.

Quandoquidem in præterita Strena multa disseruimus de nomine JESUS & Scriptura etiam faciat mentionem novorum nominum, quæ DEUS dedit, vel dare promisit Apoc. 2. Non alienum fuerit, nec inutile, si etiam aliquid hæc occasione pro Strena dicam, de impositione nominum Christianorum quæ fit in Sacramento Baptismi: in hac enim nominum impositione & ipsis nominibus non exiguum latet mysterium. Estque res consideratione & observatione dignissima, quemadmodum olim & ipse Chrylost. S. observavit hom. 21. scribens in cap. 5. Genes. explicans autem genealogiam Seth, cui natus legitur Enos, qui cœpit invocare nomen Domini. *Vidisti, inquit, appellationem diademate clariorem, purpurâ nobiliorem, quid fuerit illo beatius, qui invocatione nominis Dei ornatur, idq. pro nomine possidet! Vides & in parvis appellationibus magnas sententiarum divitias esse reconditas. Non solum enim hic Parentum monstratur pietas, sed & magna erga pueros diligentia. Et quomodo statim & à principio erudiebant pueros qui ipsis nascebantur, admonentes appellationibus, quas illis imponebant ut virtutem exercerent? & non sicut nunc fortuito & absq. causa nomina fiunt. Dicunt enim, Juxta nomen Avi aut Abavi nominetur puer. At præci non ita, sed omnem operam adhibebant, ut talia nominis imponerent nomina, quæ non solum illos qui nomina sortiebantur*

in virtute

in virtutes adducerent, sed & alios omnes qui sequentibus sæculis fuerunt, nullam non Sapienciam docerent. Igitur & nos non vulgaris pueris nomina indamus, neq; Avorum, aut Abavorum, & eorum qui genere clari fuerunt, nomina tribuamus, sed Sanctorum virorum qui virtutibus fulserunt, plurimamq; erga Deum habuerunt fiduciam. Imò neq; horum nominibus fidant Parentes, vel Pueri, quibus talia nomina contingunt. Nihil enim prodest alicui vocabulum, quo virtus non commendatur, sed habenda est salutis expectatio in omni virtutis operatione. Dicemus ergo primum, quid sibi velit, quòd ut olim in Circumcisione, ita & nunc in Baptismo demum nobis nomina imponuntur. Deinde, cuiusmodi nomina infantibus imponenda. Denique quomodo in hac parte peccari contingat.

Quod primum attinet, quòd Anonymi seu sine nomine omnes in hanc lucem edamur, vel, si contendes noscum nominibus nasci, ea non nisi obscura, ignobilia, & ignominiosa sunt, nimirum Peccatores, Inimici Dei, Filii tenebrarum, Exules paradisi, Mancipia Sathanæ, &c. Vera igitur nomina, splendida, ac gloriosa demum in Baptismatis Sacramento sortimur. Quid ergo hic nobis significatur? nimirum in nobis primæ nativitatis corruptio & damnatio, quia enim Inimici Dei, Iræ, & proditionis Filii omnes hic nascimur, nescit & ignorat nos Deus, nec alicujus apud eum nominis sumus. Unde & impii homines etsi in hoc sæculo nominatissimi sint, tamen quia apud Deum nullius sunt dignitatis ac meriti, ideò nescire, ac ignorare eos dicitur. Contrà verò, homines Sancti, etsi in hoc mundo ne de nomine quidem vulgo fuerint cogniti, tamen Deo sunt notissimi, & Angelis, & nomina eorum in cælo scripta sunt. Hinc est quòd in Scriptura S. mendicus ille & pauper Lazarus nominatim honorificè describitur. Dives autem epulo velut obscurus & incognitus Deo, licet hic celeberrimus & famosissimus Luc. 16, nullum tamen

tamen non habeat, uti nec alter ille dives Luc. 12. horreorum suorum dilator. Observat hoc D. Greg. historiam divitis Eulonionis hom. 40. ita describendo. *Certe in populo plus solent nomina divitum quam pauperum sciri, quid est ergo quod Dominus de paupere & divite verba faciens, nomen pauperis dicit, & nomen divitis non dicit, nisi quia DEUS humiles novit & approbat, & superbos ignorat? unde & quibusdam de miraculorum virtute superbientibus, in fine dicturus est. Nescio vos unde sitis, discedite à me omnes operarii iniquitatis. Matth. 7. At contra, Moysi dicitur Exod. 33. Novi te ex nomine. Ait ergo de divite. Homo quidam. Ait de paupere: egenus Lazarus. Quasi diceret aperte, pauperem humilem scio, superbum divitem nescio. Illum cognitum per approbationem habeo, hunc per iudicium reprobationis ignoro. Quia igitur ut olim circumcisionis beneficium adscribebat populo Dei, & foederis Abrahæ ac benedicti seminis participes faciebat: ita & nunc per Baptismi gratiam regenerationis Sacramentum prioris generationis corrigit vitium, novaque renascitur creatura, & Christi membra effecti in filios DEI adoptamur: rectè sanè nobis nomen imponitur, tunc enim loco aliquo & dignitate apud DEUM esse incipimus, tunc etiam in eius quasi devenimus notitiam, & in amicitiam recipimur, tunc regius nobis character imprimitur, quo internosci & distingui à cæteris valeamus, tunc in Sanctorum societatem admittimur tunc in cælis, & in libro vitæ nomina nostra inscribuntur.*

Sed neque mysterio carebat dies octavus nominum depositioni olim destinatus, qui & ipse Baptismo nostro continetur, significans, videlicet fore, ut quotquot vitæ innocentiam Domino sese consecrarent, & circumcisionis, regenerationisque beneficium in finem observarent, & nominis sui tuerentur honorem, eos omnes æternæ beatitudinis, quam post vitæ huius septimanam, octava consequitur, hæreditatem assecuturos, & æternum in cælis nomen accepturos, quod nullam unquam

vetustate deleatur. Contrà verò, ingratorum & impiorum hominum etsi secundùm præsentem justiciam scribi ad tempus in libro vitæ nomina contingat, delenda tamen ea atque abolenda, & nisi respiciant, æternâ oblivione sepelienda, & obliteranda. Hæc Gentes ignorant, nihil de lapsu Adæ, & primæ generationis corruptione, ac damnatione intelligentes, nihil de futuri sæculi beatitudine, vel miseria cognoscentes. Quare, mirum non est, si mox ut nati sunt, nomina infantibus imponant, sed quia in terra scribentur, & ut nullus in hoc mundo ignoret, nesciat tamen DEUS.

Quodnam ergo est nomen, quo à DEO in Baptismo exornamur, quod in albo cœlesti, & libro vitæ inscribitur? sanè non unum, sed varium & multiplex. Abolitis enim obscuris, ignobilibus, & maledictis nominibus, quæ nobis Sathanas imposuerat, alia nobis induuntur generalia nomina, dicimurq; jam sancti, immaculati, filii lucis, domestici, amici, Filii DEI, cives Sanctorum, domus & templum Spiritus S. hæredes regni, Ephes. 4. 1. Tim. 3. 1. Petr. 3. Denique ab ipso Christi nomine, & appellatio nobis Christianorum imponitur, in signum, quòd à tenebris & ignobilitate pristina vindicati, non solùm in jus & dominium Christi, sed in dignitatis ejus societatem admisi sumus, Reges & Sacerdotes effecti. O verè gloriosa nomina, honorificosque titulos, quibus DEUS nos etiam hic in terris exornare dignatur! Si autem tanto nos honore dignatur in hac vita, qualem putamus futuram eam titularum gloriam, quam in futura expectamus? Quis explicet, quodnam sit novum illud nomen, illud nomen æternum quo in cœlis donandi ac coronandi sumus? Quid nomen illud intelligat meliùs à Filiis & Filiabus de quo Isai. 56. quod nemo novit nisi qui accipit, & de quo Joann. Apoc. 2. *Vincenti dabo &c. in calculo nomen novum scriptum.* Sanè multò gloriosiora erunt illa nomina, quàm quæ

quon-

quondam Romani Ducibus suis imponebant post devictos hostes clarissimosque triumphos, quæ demum tunc sciemus quando accipiemus.

Sed hæc fidelibus omnibus communia sunt nomina, veniamus ad particularia. Laudabile est ergo infantibus imponere nomina aliquorum Sanctorum aut talia quibus officii & virtutis admoneantur ut supra diximus ex D. Chrystost. Qualia sunt, Pius, Clemens, Gregorius, Agnes, Catharina, &c. Vel talia, quibus in divini alicujus beneficii memoriam reducitur, ut Dorotheus, Theodorus, &c. Huc pertinent SS. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum nomina, quorum optamus aliquando imitatores vitæ, uti & nominum esse. Habent enim hæc ipsa nomina tacitam quandam precationem, & commendationem, ut Sancti quorum nomina præferuntur, nos in suam recipiant tutelam, & pro nobis in cœlis orent. Quin & excitamur nominis affinitate ac similitudine, ut frequentius libentiusque ejusmodi Sanctos invocemus, quorum nomine gloriamur. Sanè laudat Julianam quandam S. Ambr. lib. exhort. Virgin. quòd postquam B. Laurentii precibus & meritis à DEO impetraverat filium, ejus quoque nomine appellandum curaverit, quam & hortatam ait, ut ad ejus exemplum & castitatis & Cleri propositum susciperet. *Considera, inquit, quis te ut nascereris, invenit, filius es magis votorum quam dolorum meorum. Considera cui te muneri Pater tali nomine designaverit, qui vocavit Laurentium. Ibi vota deposuimus, ubi nomen assumpsimus, vota effectus secutus est. Redde Martyri quod debes Martyri. Ille te nobis impetravit, tu restitue quod de te hujusmodi appellatione promisimus.*

Hoc Parentes spectare convenit in nominis impositione ut non ad sæculi hujus gloriam, laudes bellicas, prophanam sapientiam, Majorum memoriam, nominis sui propagationem, vel similes vanitates respiciant; sed ad pietatem bonæque vi-

tæ informationem, & æternum illud nomen, quod pro meritis quisque suis in cœlo est accepturus. Et fit sanè non rarò, ut DEUS Parentum pietate, tacitoque voto & precibus motus, Filiis largiatur gratiam, ut verè feronimi fiant, & nomini sine respondentes, DEI sic Providentiâ disponente. Neque enim remerè aut absque DEI consilio factum putamus, ut Gregorius Papa I. hanc appellationem nominis primus acceperit, futuri haud dubiè præfagium, Gregorius enim vigilantem significat. Sic & Basilius ut nomine, ita & vitâ & scriptis basilicum & Regium aliquid præsetulit. Similiter Athanasius, re & nomine immortalis. Stephanus primus Martyrii coronâ illustris. Vincentii nomen tam præclaras victorias, Laurentii laureas prædixit. Stanislaus, quod est, fiat gloriæ, factus est suæ gentis gloria, dum ejus allato miraculo Concilium hæresim damnavit &c. Talia igitur fideles imponant suis Filiis nomina quæ pietatem excitent & promoveant, dentque hi operam ut nominis sui ethymon & rationem intelligant, Sanctique ejus nomen gerunt, vitam nôrint, ejusque virtutes imitentur, & hoc esse laborent & quod dicuntur. Si verò profanum aliquod, aut Gentilium nomen, ut subinde fit, in Baptismo acceperint, commutent illud in Sacrum ac Christianum, dum Confirmationis aut Ordinis Sacramentum suscipiunt. Quale refert exemplum Euseb. 8. hist. cap. 21. scribens eos qui ex Gentilibus ad fidem Christianam accedebant, suscepto Baptismo, vetera Paganorum & Idolorum nomina in pia, & Christiana convertisse. Non carent offensâ, qui Ethnicorum potius quàm Christiana suis Filiis imponunt nomina, ut Paridis, Hectoris, Achillis, Scipionis, Demosthenis, Ciceronis, Lucretiæ &c. Uti & non leviter peccant, qui Christiana priùs sortiti nomina, ea postea in Ethnica pervertunt, ut quosdam fecisse constat. Nec adeò laudabile est Judaica & veteris testamenti nomina usurpare, cum pluri-

ma

ma suppetant Christiana. Cujus hanc dare licet rationem, quia veteris testamenti Patres non tantum verbis, sed etiam frequenter nominibus quisque suis, Christi D. incarnationem & gratiæ ipsius beneficium præfigurârunt ac prænuntiârunt. Unde fit quoque ut Ecclesia non tam solenniter eorum quoque recolat memoriam, sed Sanctorum duntaxat novi testamenti, in quorum honorem festos dies & solemnes instituit, qui non nasciturum vel passurum, sed natum jam ac passum Christum confessi sunt. Quare cum jam horum non illorum tenenda sit fides, rectius hujus quam illius temporis Sanctorum etiam nominibus utimur.

Ex iis quæ de nominibus Christianorum dicta sunt salubria quædam documenta oriuntur. *Primo* non esse nobis gloriandum de titulis mundanis, aut sectandam nominum celebritatem in hoc mundo, more illorum qui turrim Babilonicam ædificare aggrediebantur, dicentium Genes. ii. *Celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.* Veleorum de quibus Pl. 48. *Vocaverunt nomina sua in terris.* Sed laborandum ut nostra nomina scribantur in cælo juxta illud Christi Salvatoris. Luc. 10. *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* 2. Non doleamus, neque ideò nobis ipsis displiceamus, quòd obscuri, ignobiles, vel parum famosi, ac celebres in hoc mundo simus, vel habeamur: Sed consolemur nos Christiano nomine, quo nullum gloriosius esse potest. Cogitemus vera esse illa verè aurea D. Hieron. verba l. 2. ep. 2. *Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum. Servum & Nobilem de moribus pronuntiat. Sola apud DEum libertas est non servire peccatis, summa apud Deum nobilitas est clarum esse virtutibus. Nam & aliàs, inquit, frustra sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cum universi paris honoris*

noris & ejusdem pretii apud Deum sint, qui uno Christi Sanguine sunt redempti nec interest quâ quis conditione natus sit, cum omnes in Christo renascamur aequaliter. 3. Si quis forte infamiâ injustè nomen nostrum aspergat, in odium ac invidiam vocet propter justiciam vel pietatis causam, dicatque nos Christianos hypocritas, scrupulosos &c. vel etiam ob Christum nos afficiat, non dolendi sed gaudendi nobis materiam præbet. Unde B. Petrus. Petr. 4. *Nemo veltrum patiatur ut homicida, aut fur &c. si autem ut Christianus &c. gaudeat in isto nomine.* In hoc nomine gloriabatur Martyr quidam apud Euseb. lib. 5. cap. 1. qui à Judice interrogatus quod ei nomen, & unde esset: aliud nihil, licet maximis tormentis excarnificatus, respondit, neque respondere voluit, quàm illud, *Christianus sum.* Simile quid ibid. refert de S. Blandina, quæ in maximis & exquisitissimis tormentis hæc proferebat. *Christiana sum, & nihil apud nos admittitur sceleris.* Meminerimus ergo & nos, Christianos nos dici, & respondeamus nomini nostro, Christi que imitatores efficiamur. *Conversatio enim Magistri, forma est discipuli,* ait D. Leo. *Et frustra dicimur Christiani si non fuerimus imitatores Christi.* Et D. Ignatius M. *Dignum est non solum nos vocari Christianos, sed etiam esse.* Non enim dicere, sed esse facit beatum. Rursum D. Leo. *Agnosce Christiane dignitatem tuam, & iam divina consors factus natura, noli iterum in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* Hanc dignitatem explicat D. Petrus, dum ait 2. Petr. 1. *Omnia nobis videtur dedisse &c.* Et Paulus Coloss. 3. *Deus dignos nos fecit.* Hanc etiam dignitatem agnoscebat S. Agatha, Breviar Rom. Feb. 5. *Cum enim Quintianus Tyrannus ei objiceret servilem vitam Christianorum, dicens. Nonne te pudet Nobili genere natam, humilem & servilem Christianorum vitam agere?* Sapienter respondit.

dic. Multò præstantior est Christiana humilitas Regum opibus & superbiâ.

Danda est igitur nobis strenuè opera, ut postquam hæc tam honorifica & gloriosa fortiti sumus nomina, retineamus & tueamur nominum nostrorum gloriam, honorem & splendorem, nec ea malefactis inhonoremus atque deturpemus. Aut si quid tale humanâ fragilitate nobis evenerit, maculam illam & dedecus mox abluere curemus, alioquin futurum ut nomina nostra deleantur de libro viventium. Si autem ea sanctis moribus & virtutibus honorare & exornare studuerimus, futurum est, ut gloriosa sint & celebria, & ut suavissimæ fragrantia odor, non in terram hanc tantum, sed in cælum quoque ipsum, spargant atque diffundant, utque immortalitate dotata scribantur in albo Electorum, ac libro vitæ, unde nunquam deleantur. Imò, ut aliud longè honoratius nomen, magnificentius, & gloriosius in futuro sæculo consequamur, verè Regium, Cœleste, & Divinum. Christianorum enim dignitas non tam in terra, quàm in cœlo posita est, teste D. Aug. l. quæst. utriusque testamenti, cujus dignitatem, majestatem, splendorem, ac pulchritudinem nulla lingua eloqui, mens nulla concipere possit. Idque gratiâ & misericordiâ D. N. Jesu Christi, qui propterea Jesus in terris hodie appellari dignatus est, ut Anonymi cum essemus, nomen nobis aliquod in cœlis, & inter electos suos, adeoque æternum & immortale comparare ac promereri posset juxta illud. *Nomina eorum vivent in generatione, & generationem.* Cui sit cum Patre & Spiritu Sancto honor & gloria in sæcula sæculorum.

STRE-